



G R E G O R I V S

P A P A X V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM, Singulares, atque
 eximij fructus, quos dilecti Filij Præpositus Generalis, ac Clerici
 Societatis IESV in Militanti Ecclesia, cuius regimini, diuina dis-
 ponente clementia, præsidemus, in dies afferunt, promerentur, vt
 illorum votis, quantum cum Domino possumus, fauorabiliter an-
 nuamus. Supplicationibus itaque illorum nomine Nobis humiliter porrectis in-
 clinati, eisdem Præposito Generali, ac Clericis, quatenus noua dictæ Societatis
 Collegia, necnon Domos probationis, & Residentias è redditibus Collegiorum,
 seu Domorum huiusmodi victuras, iuxta ipsius Societatis Constitutiones & Or-
 dinationes, vbiuis, sine tamen alicuius præiudicio, erigere, & fundare liberè, &
 licitè possint & valeant, Apostolica auctoritate teñ præsentium licentiam, & fa-
 cultatem concedimus, & impartimur. Non obstañ Decreto per veñ Fratres no-
 stros S. R. E. Cardinales negocijs Regularium præpositos sub die xviij. Augu-
 sti M. DCXXI. edito, ac Cõstitutionibus & ordinationibus Apostolicis, pri-
 uilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet con-
 celsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium
 eñ præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo ro-
 bore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæte-
 risq; contrarijs quibuscunq;. Volumus autem, quod præsentium transumptis
 etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius per-
 sonæ in dignitate Ecclesiastica cõstitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio,
 & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel osten-
 sæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die
 xxx. Iulij M. DCXXII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

S. Card. S. Sufannæ.

ROMAE, Ex Typographia Camera Apostolica. M. DCXXII.

Angelus Sufannæ